





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
 DE  
 GENVINIS  
**PLETHORAE**  
**EFFECTIBVS**  
 IN  
 CORPVS HVMANVM

---

QVAM  
 SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
 ET  
 CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
 PRAESIDE  
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
 DOMINO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
 POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINAR.  
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
 ET COMITE PALAT. CAESAR.

**PRO GRADV DOCTORIS**  
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,  
 AD D. OCTOBR. A. S. R. MDCCXLVII.  
 PVBLICE DEFENDET  
 AVCTOR

**MAVRITIVS LVDOVICVS BENS,**  
 NASSOICO - VSINGENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
 EXCVD. CHR. FRID. NATHAN. FÜRST. ACADEM. TYPOGR.



19

DISSERTATIO IN AVGARALIS MEDICA  
 DE  
 GRINVINIS  
 PLETHORAE  
 EFFECTIBVS  
 IN  
 CORPVS HVMANVM

AVGARALIS MEDICAE  
 CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
 PRAESIDE  
 VIRO REVERENDO DOCTORIS HONORIS ET EXCELLENTISSIMO  
 DOMINO

D. ANDREA ELIA BUCHNERO  
 SACRI ROMANI CAESARIS  
 POTENTISSIMO BORSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS  
 MEDICAE ET CHIRURGICAE FACULTATIS PROFESSORI ET ORDINARI  
 IMPERIALIS ACADEMIAE NATURALIUM HISTORIAE  
 ET MATHESIAE CAESARIS  
 ET CAESARIS FACULTATIS

PRO GRADU DOCTORIS  
 SUMMO IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS  
 AD D. DOCTORUM A. M. MDCCXVII  
 PUBLICE DEFENSIT  
 AVCTOR

MAVRITIVS LUDOVICVS BENS  
 WASSERO - VINCENSIS  
 HALLAE MAGDBERGICAE  
 REG. CHR. ERH. NATHAN FÜRST. ACADEM. PRAES.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
GENVINIS  
PLETHORAE EFFECTIBVS  
IN  
CORPVS HVMANVM.

---

PROOEMIUM.



Medici de plethorae in corpus hu-  
manum effectibus adeo diuer-  
sas fouent sententias, ut alii eam  
pro plerorumque, immo omnium fere  
morborum causa declarare non dubitent,  
alii contra penitus eandem ex morbificarum  
cauf-

caussarum classe excludant, vel saltem pro  
minus sufficiente tali caussa agnoscant. Per  
multa, quibus haec in utramque partem  
agitatae fuerunt controuersiae, adhuc pro  
stant scripta, quorum enumeratione & re  
censione lubens supersedeo, ne forsitan vi  
rorum de medicina optime alias meritorum  
famae quidquam detrahere velle videar;  
hoc tamen ut dissimulem, a me impetrare  
non possum, utrosque multum omnino  
falli, talesque errores exinde ortum suum  
duxisse, quod non solum genuino plethorae  
conceptu, sed & distincta principiorum me  
chanicorum cognitione, vel legitima eo  
rundem ad corpus humanum applicatione,  
fuerint destituti, atque ob eorum defectum  
plethorae in corpus humanum effectus rite  
haud determinaverint. Ex eodem fonte  
ille etiam promanauit error, quod nempe  
complures Medicorum, plethoram minus  
recte

recte inter res morbosas referri, sibi falso persuadeant, itemque falsa ista, quae ab omnibus fere Medicis pro vera habetur, plethorae in duas species, quarum una *pletthora ad vasa*, altera *ad vires* dicitur, diuisio; quantum enim haec, iuxta vulgarem explicationem, veritati repugnet, & quam lubrico immo fere nullo simul nitatur fundamento, ex ipsa clucescet pertractatione. Varia eaque innumera adhuc adducere possem, quae insignem Medicorum de plethorae in corpus humanum effectibus dissensum fati superque declarant, si prolixior esse velim, sed haec faciam missa, id saltem unicum monens, omnia ea, quae modo protuli, animum meum impulisse, ut in hacce, quae mihi, pro summis in Medicina honoribus impetrandis, elaboranda ac defendenda fuit, Dissertatione, *pletthorae in corpus humanum effectus* accuratiori subiicerem examini, eos-

que certius determinare adlaborarem. Cum vero minime omnium eo vergat mens mea, ut veritatum loco figmenta proferrem, ideo in hocce argumento pertractando omnes meas eo quam maxime intendi vires, ut omnium earum rerum, quae vel dubiae, vel obscurae forsitan videri possent, legitimam antea suppeditarem definitionem, omniaque asserta mea ratiociniorum legitime cohaerentium ope demonstrarem. Benigne igitur accipias, Lector beneuole, qualemcunque hunc ingenii mei foetum, & si qua in re tuae ex omni parte non satisfecerim expectationi, veniam mihi pro ea, qua par est, humanitate largiaris. Faxit autem supremum Numen, ut omnia in nominis ipsius gloriam, multorumque salutem ac emolumentum cedant.





§. I.



Quum de legitima plethorae definitione condenda cogitarem, illos potissimum Medicos, qui complura de hoc argumento in suis litterarum monumentis consignata reliquerunt, consului, sed, si verum fateri licet, nullam, quae mihi arderet atque ex omni satisfaceret parte, deprehendi definitionem. Multi cum celeberrimo BOERHAAVIO definiunt plethoram, quod sit copia boni sanguinis maior, quam quae ferre possit eas mutationes, quae vitae inevitabiles accidunt, nisi inducantur morbi; atque cum his coincidunt ista, quae Illustris b. m. HOFFMANNVS, in Dissertatione sua de plethora insufficiente morborum causa, §. II. scribit, inquit: Secundum est, ut animadvertamus, non omnem succorum abundantiam, quae naturae est oneri & segni progressu morbis progignendis

Medici de plethora legitimam non dederunt definitionem.

*is lenocinatur, plethoram debere saluari, sed eam tantum, ubi sanguis bonus, i. e. bene mixtus & gelatinosus, nutritius, exsuperat.* Plures adhuc proferre possem aliorum definitiones plethorae, sed modo allegatae iam sufficiant. Quodsi vero meum de iis ferre licet iudicium, diffiteri haud possum, eas hoc non nisi laborare naevo, quo definitio suo definito strictior accusatur & hinc pro falsa declaratur, id quod absque vlla statim demonstrari potest difficultate. Notum enim est, immo notissimum, omnem istum dici & reuera esse plethoricum, qui iusto maiorem habet sanguinis quantitatem, siue ea sit bene, siue male comparata, nec plane referre, num sanguis eius bonus sit, an malus. Cum vero modo allegatae definitiones supponant in plethora boni tantum sanguinis praesentiam, eas plethoricis, qui deprauatum in vasis vehunt sanguinem, non competere, adeoque definito strictiores esse, satis superque statim elucescit.

Definitio  
plethorae  
eruitur.

## §. II.

Vt vero appareat, quomodo ad legitimam plethorae definitionem sit perueniendum, ad ea, quae sequuntur, maxime attendendum esse iudico. Homo in duplici versatur statu: Vel enim decentem habet sanguinis quantitatem, hoc est, tantam, quanta adesse debet, siue ad sanitatis suae conseruationem est necessaria, vel non. Si posterius locum habet, id est, si non decentem possidet sanguinis quantitatem, vel iusto minorem habet, vel iusto maiorem, quam quae adesse deberet, sique posterius est, dicitur *plethoricus*.  
Est

Est igitur plethora sanguinis in corpore humano praesentis iusto maior copia, quam adesse deberet.

§. III.

Inter illas conditiones, quae requiruntur, si homo sanitate frui debet, haec quoque praecipuum obtinet locum, quod scilicet debita, legitima & conuenienti gaudeat sanguinis quantitate. Cum vero plethora praesente non conueniens, sed iusto maior in corpore humano adsit sanguinis quantitas §. II, deficit tunc conditio, quae requiritur, si hominis sanitas integra esse debet, unde non potest non status enasci sanitati oppositus. Iam eiusmodi status dicitur morbosus, adeoque necesse omnino est, praesente plethora, talem quoque adesse statum. Praeterea cum plethora actu praesens, uti ex dictis patet & adhuc clarius ex sequentibus elucescet, functionum quarundam naturalium laesionem inferat, & omne id, quod hoc efficit, morbosum dicatur, plethoram ideo quoque morbosam esse nemo dubitabit.

§. IV.

Quod omnis plethora semper sit morbosa, de eo nemo dubitare poterit, dummodo consideraverit, primo, quod plethora sit iusto maior sanguinis in corpore humano praesentis quantitas, quam adesse deberet §. II, deinde, quod quantitas sanguinis maior vel minor aestimari debeat ex proportionem eius ad corporis partes, in quibus continetur, & denique quod sanguinis, in corpore humano praesentis, maior copia, quae ordinarie constituit plethoram §. II, existere nequeat, nisi simul quarundam functionum liberum

B

ex-

exercitium laedatur. Et quid multis opus est? Symptomata, quae plethorae praesentiam indicant, quorumque potiora, uti ex practicoꝝ observationibus patet, sunt, spontaneae membrorum lassitudines, difficilis respiratio, praesertim si loca superiora peccant, vertiginosa vel temulenta capitis afflictio, maxime post eius versus terram factam inclinationem & elevationem contingens, segnitias ad laborem, sensus confusioꝝ aliaque plura, satis superque demonstrant, actiones corporis laesas, liberumque earum exercitium imminutum esse, adeoque plethoram omnem esse morbosam, eaque praesente simul certo respectu morbum adesse. Quodsi igitur plethora adest, semper illa est morbosa. Nec ullius ponderis haec erit obiectio, quod plethorici non ut alii aegri lectum petere cogantur, tantaque symptomatum vehementia, quanta alii, affligantur, cum notum sit, morbos habere diuersos gradus, maiores, maximos & minimos, adeoque morbum quendam in minori gradu adesse posse. Quaquam enim ambabus largiamur manibus, immo ipsi statuamus, quod massa sanguinea, qualitate bona gaudens, summam habeat in dispensanda sanitate facultatem; nulli tamen adserere dubitamus, quod illa, si vel sola quantitas in excessu peccauerit, sanitatem laedere possit. Huius asserti veritas omnibus patet, qui physiologiae elementa vel leviter tantum cognita habent. Etenim fluidarum partium ad solidas decens & legitima tantum proportio requiritur, si sanitas integra & incorrupta manere debet.

§. V.

§. V.

Cum tunc dicatur adesse plethora, si iusto maior *Plethora est*  
in corpore humano adest sanguinis quantitas §. II, *vel pura,*  
hic sanguis vel bonus est, vel malus, siue deprauatus: *vel impura.*  
Si prius est, *plethora* dicitur *pura*, quam alii *veram* aut  
*simplicem* vocant; si vero posterius, *plethora* appellatur  
*impura* siue *spuria*, aut *composita*. Est igitur omnis  
plethora vel pura, vel impura.

§. VI.

Sanguis in plethora vel celeriter mouetur, vel *Plethora est*  
tarde: Si prius, *plethora* dicitur *commota*, si posterius, *vel quiescens,*  
appellatur *quiescens*. Plethora igitur est vel *quiescens*, vel *commota.*

§. VII.

Veteres Medici, Galenici praesertim, eosque se- *Distinctio*  
cuti recentiorum nonnulli, distinguunt inter *plethora* inter *plethora*  
*ad vasa & ad vires*, prioremque dicunt, quando *ad vasa*  
sanguis simpliciter abundans vasa turgida reddit, poste- *ad vires*  
riorem vero, vbi sanguis, licet vasa non tumescant, *est falsa.*  
vires corporis superat. Sed haec distinctio, ut mea  
quidem fert opinio, nullo plane nititur fundamento:  
Quodsi enim corpori deficit facultas actiones legitimo  
modo exercendi, quilibet sane, eiusmodi corpus vi-  
ribus esse destitutum, asserit. Cum igitur facultas  
functiones decenter peragendi in omni deficit plethora  
§. III. IV, hinc omnis plethora est ad vires, & ple-  
thora, si non sit ad vires, non est plethora. Certum  
igitur

igitur est atque exploratum, distinctionem plethorae ad vasa & ad vires nullo plane niti fundamento.

## §. VIII.

*Corollarium.*

Omnis plethora est morbosa §. III. IV. hinc & plethora vel pura vel impura, commota vel quieta, erit morbosa.

## §. IX.

*Quidnam plethoram efficere possit.*

Cum plethora sit iusto maior sanguinis, in corpore humano praesentis, quantitas §. II, sequitur hinc, omne id, quicquid efficere potest, ut iusto maior sanguinis quantitas in corpore humano coaceruetur, plethoram generare posse.

## §. X.

*Recensentur causae, quae plethoram producere possunt.*

Alimenta, quae multum chyli largiuntur, possunt tantum sanguinis praeparare, ut quantitas eius iusto maior evadat & peccet in excessu, adeoque plethora oriatur §. II. & IX. Neque minus viscerum, quae chylificationi & sanguificationi inseruiunt, actio plethoram efficere potest, si ita est comparata, ut multum chyli & sanguinis ex ingestis praeparare valeant. Praeterea sola ratione duce facile intelligitur ac perspicitur, quod massae sanguineae in quantitate excessus locum invenire nequeat, si excretionibus tantum consumeretur, quantum auferri debet, ut debita sanguinis ad partes continentes conferretur proportio, quae ad actiones secundum naturam exercendas requiritur. Si igitur excretiones imminuuntur, sanguinis quantitas iusto magis auferri, adeoque plethora oriri potest

potest §. II. & patet ex his simul ratio, cur excretiones sanguinis artificiales omiffae, & naturales in minori copia succedentes, quies partium, somnus multus, vita sedentaria & id genus similia, plethoram producere possint.

§. XI.

Sanguinis circulum a vi cordis & vasorum dependere, & tam cor, quam vasa in sanguinem agere debere, sanguinem autem, quatenus corpus est, resistere, si motus eiusdem succedere debet, veritas est principiis physiologicis superstructa. Cum vero maior sanguinis quantitas etiam magis, quam minor, resistere debeat, & in plethora sanguinis iusto maior quantitas, quam ad vitam & sanitatis conservationem necessaria est, adfit §. II, sanguis, praesente plethora, cordis & vasorum in eum agentium actioni iusto maiori vi resistet, unde non potest non cordis & vasorum in sanguinem agentium vis imminui.

*Plethora vim cordis & vasorum imminuit.*

§. XII.

Sanguinem cor & vasa distendere, eoque magis, quo maior eiusdem in iis continetur quantitas, certum est ac indubitatum. In plethora iusto maior est in corpore humano quantitas, quam adesse deberet §. II, hinc ea praesente non possunt non cor & vasa iusto maiorem in modum distendi, multoque magis, quam ea absente. Porro, cum sanguis in plethora cordis & vasorum actioni solito maiori vi resistat §. XI, & omnis resistentia sit actio, uti ex principiis patet physicis, si sanguis praesente plethora iusto maiori vi in

*Sanguis in plethora cor & vasa magis distendit, in ea fortius agit, sed simul tardiores eorum systemen efficit.*

cor & vasa aget, haec propterea iusto maiorem actionem & pressionem exercebunt, cordis vero & vasorum systole erit iusto tardior, quam ea absente, cum sanguinis iusto maior copia id prohibeat. Posita enim eadem vi, semper erit motus tardior, tam, si quantitas movenda, quam si alia resistentia ab extra maior est, id quod utrumque simul in plethora occurrit.

## §. XIII.

*Plethora ro-  
bur vaso-  
rum debili-  
tare potest.*

Cum plethora vim vasorum in sanguinem agentium imminuat §. XI, & vasa iusto maiorem in modum expandat, §. XII, ea tandem ita extendere potest, ut robur suum amittant. Siue enim eorum elasticitatem spectes, vasa, vti omnia corpora elastica maiori gradu & diu expansa, elaterem amittunt; siue vim eorundem vitalem, quae a sanguinis & liquidi nerui influxu dependet, consideres, non potest fieri, quin vasis maioribus expansis, minora vasa, in maiorum parietibus haerentia, atque nerui per ea disseminati, comprimantur, & sic influxu sanguinis & liquidi nerui in eorundem parietes imminuto, ipsa eorundem contractio, quatenus ab horum influxu dependet, imminuatur. Ne dicam, ipsum sanguinem, qui a plethora, uti inferius demonstrabitur, facillime spissus reddi potest, ad liquidi nerui secretionem & penetrationem in vasa minora parietum, vasa maiora constituentium, fieri ineptum. Cum vero extremitates vasorum arteriosae tenerioribus minusque firmis praeditae sint tunicis, quam arteriae maiores, ideo illae prae his non solum a plethora facile distendi, sed etiam debilitari possunt.

## §. XIV.



§. XIV.

Quoniam plethora vasa extendit atque ea debilitare *Plethora* potest §. XIII, hinc facile etiam vasa, tam venosa, quam *varices &* arteriosa, ita extendere atque debilitare potest, ut eorum *aneurismata producere potest.* diameter naturalis in praeternaturalem maiorem mutetur, & solito maior quantitas sanguinis in locis vasorum, ubi eorum diameter maior fuit redditus, colligatur. Cum vero eiusmodi tumores, si in arteriis haerent, *aneurismata*, &, si venas occupant, *varices* constituent, patet inde, plethoram aneurismata & varices producere posse.

§. XV.

Vasa habent vim se contrahendi & sanguinem *Plethora* propellendi, quae tam ab eorum elasticitate, quam *spasmos efficere potest.* vi vitali, a sanguinis & liquidi nervei influxu dependente, provenit. Cum igitur plethora vasa iusto maiorem in modum expandat §. XII, nervi, eorum parietibus interspersi, facile irritari, ipsique parietes, fibris muscularibus praediti, spasmodice constringi possunt. Huc quoque accedit, quod nervi ipsi a vasis sub plethora expansis extendi atque irritari possint, unde non potest non spasmodica sequi contractio. Patet ergo, plethoram spasmos efficere posse.

§. XVI.

Si qua pars spasms affligitur, sanguis maiori im- *Plethora* petu ad partes connexas propellitur. Jam vero im- *congestionem* petus maior, quo sanguis ad partem quandam fertur, *efficere potest.* dicitur *est.*

dicitur *congestio*, adeoque plethora, dum spasmos efficere potest §. XV, utique ad congestiones producendas etiam apta erit. Proinde quoque, cum plethora vasorum obstructions, uti infra demonstrabitur, inducere possit, necessario hinc sanguis, qui per vasa obstructa transire nequit, ad alia maiori impetu regurgitare debet loca, unde iterum patet, quod & qua ratione plethora congestionibus producendis admodum faueat.

## §. XVII.

*Plethora  
haemorrhagias  
excitare potest.*

Si qua pars spasms afficitur, sanguis maiori impetu ad aliam partem propellitur, hacque ratione facillime occasio subministratur, ut vasa vel disrumpan- tur, vel praeternaturaliter aperiantur, & sanguis dein maiori vel minori in quantitate ex iis effundatur; id quod eo facilius tunc contingit, quo magis vasa ipsa iam sunt debilitata. Praeterea ipsas sanguinis ad partes congestiones haemorrhagias producere posse, notum est atque sufficienter exploratum. Iam vero plethora spasmos & congestiones producere potest §. XV. XVI, adeoque & haemorrhagias omnino excitare potest. Neque quisquam de huius asserti veritate dubitare poterit, dummodo considerauerit, plethoram extremitates vasorum arteriosas prae ceteris valde expandere & debilitare posse §. XII, quae sub tali statu debilitatis facile dein se iusto maiorem in modum aperiri & dilatari patiuntur, sanguinisque profluuium sic excitare possunt.

## §. XVIII.

*Alia commota* §. XVIII.  
Rationes iam adduxi, cur plethora haemorrhagias producere possit §. XVII, sed longe adhuc grauius accedit argumentum, quod huius asserti veritatem luculentius demonstrat. Sanguinem in motu constitutum actionem quandam in corporis nostri partes exercere, nemo unquam negare poterit; haec vero actio, quia augeri & imminui potest, habere debet quantitatem. Iam cum quantitas actionis dicatur *impetus*, certum est, sanguinem in partes nostri corporis impetum quandam exercere. Cum autem porro impetus corporum motorum sit in ratione composita ex simplici massarum & duplicata celeritatum, uti phoronomi demonstrant, hinc impetus sanguinis est factum ex massa eius in quadratum celeritatis ducta. Iam in plethora iusto maior adest sanguinis in corpore humano praesentis quantitas siue massa §. II; hinc impetus sanguinis, praesente plethora, ob massam eius auctam multo maior esse debet, quam ea absente, siue massa sanguinis non adeo aucta. Fac ergo nunc, massam sanguineam, quae in plethora iam aucta est, duplo celerius moueri, tunc sanguinis impetus, celeritatis tantum, non vero massae habito respectu, non duplo, sed quadruplo maior erit. Cum igitur in plethora commota sanguis celerius moueatur, quam in quicta §. VI, necessario hinc, posita massa sanguinis eadem, impetus huius humoris in plethora commota longe maior erit, quam in plethora quicta. Haec omnia ut clarius patefiant, assumatur, massam san-

*guinis*

*Uterius  
probatum,  
quod ple-  
thora haemorrhagias  
excitare  
possit.*

guinis tam in plethora quieta, quam commota, esse = 70. libris, celeritatem vero, qua sanguis mouetur in plethora quieta = 2, illam vero celeritatem, qua sanguis mouetur in plethora commota = 4, tunc impetus sanguinis in plethora quieta erit ad impetum sanguinis in plethora commota uti  $70 \times 4 : 70 \times 16 = 280 : 1120 = 1 : 4$ . Hoc igitur in casu sanguis in plethora commota quadruplo maiori fertur impetu, quam in quieta. Hinc si celeritas pulsus in corpore plethorico in tantum augeatur, ut eodem tempore, quo unus pulsus absoluebatur, iam duo absoluantur, impetus sanguinis quadruplo maior euadit. Cum itaque demonstratum dederim, sanguinem in plethora commota multo maiorem exercere impetum, quam in quieta, utique nunc apparet, nihil facilius contingere posse, quam quod plethora, si commouetur, vi sui impetus maioris quem nanciscitur, vasa disrumpere & haemorrhagias excitare possit, quo confirmantur ista, quae §. XVII. asserta fuerunt. Facile autem concipi potest, quod plethora in iis praesertim locis sanguinis effusiones producat, ad quae vel impetus sanguinis praeter ceteris determinatur, vel quae vasa habent debilia, a quacunque etiam causa haec debilitas fuerit producta.

## §. XIX.

*Recensentur species haemorrhagiarum, quibus plethorici corripipi possunt.*

Ex iis, quae §. XVIII. demonstravi, quod scilicet sanguis in plethora commota longe maiori feratur impetu, quam in quieta, satis superque apparet, quot quantisque malis plethorici expositi sint, quantoque in periculo versentur, si eorum sanguis commouetur. Cum enim

enim plethora haemorrhagias excitare possit §. XVII. & XVIII, patet hinc, plethoricos perquam facile narium vel cerebri haemorrhagia, itemque haemoptysi, vomitu, aut mictu cruento, haemorrhoidum fluxu aliisque sanguinis excretionibus, corripì posse, quae omnia etiam experientiae suffragio confirmantur. Quod vero sanguis in diuersis subiectis, nimia eius copia repletis, modo in hac, modo in illa parte exitum quaerat, id dependet vel a maiori impetu, quo sanguis fertur, determinatione, vel ab eiusdem debilitate, quam a natura, vel a viuendi ratione, vel ab alia causa fuit adepta. Sic pueri plethorici, experientia teste, saepius narium haemorrhagia corripuntur, ex nulla alia ratione, quam quia impetus sanguinis in aetate puerili ad caput magis, quam ad alias partes vergit. Iuuenes dein plerumque in haemoptysin incidunt, hanc maxime ob rationem, quoniam in ea aetate, ob varias concurrentes causas, sanguis maiori impetu versus pectus & praecipue pulmones, quam ad alia loca, fertur, quemadmodum ii, qui in aetate virili sunt constituti, ob maiorem sanguinis versus abdominis viscera adfluxum, vel tardio rem eius ibidem progressum, haemorrhagiis ex variis talibus partibus succedentibus, veluti mictui aut vomitui cruento & haemorrhoidum fluxui, plerumque redduntur obnoxii. Quod vero nonnunquam subiecta, in aetate virili constituta, etiam haemoptysin experiantur, id meo quidem iudicio potissimum provenit a debilitate singulari pulmonum, quam tales homines vel a natura, vel ab inordinata viuendi ratione, nacti fuerunt. Et sane

unam ex his causis, nimirum vel partis debilitatem, vel determinationem impetus maioris, quo sanguis mouetur ad partem, semper subesse deprehendemus, si plethorici haemorrhagia in hac vel illa parte contingente corripuntur.

## §. XX.

*Cur plethorici magno expositi sunt periculo, si sanguis eorum commouetur.*

Haemorrhagiae eo sunt periculosiores, quo diutius durant, vel quo saepius recrudescunt. Sic narium haemorrhagia facile mortis periculo exponit subiecta, si immoderata est, vel saepius revertitur, & eodem modo cum reliquis haemorrhagiis est comparatum. Neque minus haemorrhagiae magis vel minus periculosae sunt, si in parte contingunt ad vitae conservationem magis vel minus necessaria, atque ex hoc fundamento perspicitur ratio, cur una haemorrhagia altera sit periculosior, prout nempe ex hac vel illa parte nobiliori sanguinis contingit excretio. Nonne ergo haemoptysis maius semper coniunctum habet periculum, quam narium haemorrhagia, si vel maxime per utrasque has vias eadem sanguinis quantitas fuerit reiecta? & quis est, qui dubitet, cerebri haemorrhagiam maiori stipatam esse periculo, quam haemoptysin, si ponatur, eandem sanguinis quantitatem fuisse excretam? Notum enim est, quod illa haemorrhagia, cerebri scilicet, affectus soporosos, apoplexiam, quin ipsam mortem subitanam producere possit. Cum igitur plethorici haemorrhagiis admodum sint obnoxii §. XVIII. & XIX, luculenter apparet, cur in tanto versentur periculo, si eorum sanguis commouetur.

## §. XXI.

XXI.

Si sanguis magno cum impetu fertur, nihil facilius contingere potest, quam ut tali ratione hic humor in vasa impellatur, per quae transire non potest, adeoque excitet obstructions, quae, si impetus sanguinis vehemens a tergo versus locum obstructum continuat, in veras abeunt inflammationes, quae iterum excitant febres acutas inflammatorias. Iam sanguis in plethora commota multo vehementiori propellitur impetu, quam in plethora quieta §. XVIII. Qua de causa plethora obstructions, inflammationes & febres acutas inflammatorias excitare potest, potissimum, si commouetur, & patet exinde ratio, cur plethorici creberrime obstructionibus, inflammationibus febribusque acutis sint obnoxii.

*Plethora, si commouetur, obstructions, inflammationes & febres acutas producere potest.*

XXII.

Si sanguinis velocitas in plethora augetur, hoc non potest fieri, nisi aucto fluidorum ad vasa & ad se mutuo attritu, unde non potest non calor generari, qui, uti ex principiis notum est physicis, sanguinem expandit, simulque vasa, quae illum includunt, & ultra modum a plethora iam expanduntur §. XII, adhuc magis distendit, unde necessario etiam effectus, qui a iusto maiori vasorum expansione oriuntur, & in eorundem debilitatione & spasmodica constrictione §. XIII. XV, aliisque, qui ab his utrisque denuo producuntur, effectibus, uti aneurismatibus, varicibus §. XIV, congestionibus & haemorrhagiis §. XVI. & XVII, consistunt, maximopere augeri & facillime excitari debent.

*Quoniam ulterius producat effectus plethorae, si celeriter commouetur.*

C 3

§. XXIII.

## §. XXIII.

*Recensentur causas, quae plethoram commouent, & a quibus plethoricis est cauendum.*

Causae, quae plethoram in celeriores concitant motum, sunt infinitae eaeque admodum variae, frequentiores tamen & praecipuae sunt nimius aëris æstus, vehemens corporis motus, spirituosorum & calidorum usus immodicus, affectus animi cum celeriori partium solidarum & fluidarum motu coniuncti, ut ira, excandescencia & gaudium, idque genus alia. Cum igitur demonstratum dederim, quam pessimos producat plethora effectus, si sanguis celeriores in motum coniicitur §. XVIII. XIX. XX. XXI. & XXII, facile nunc apparet, plethoricis ab his modo enumeratis maximopere esse cauendum, nisi sibi grauissimos conciliare morbos, & summo simul vitae & sanitatis periculo exponere se velint.

## §. XXIV.

*Sanguis praesente plethora tardius mouetur, quam ea absente.*

Celeritas, qua sanguis mouetur, dependet a celeritate, qua cor & arteriae contrahuntur. Cum igitur plethora praesens iusto tardiores cordis & arteriarum systolen induit habet comitem §. XII, hinc sanguis plethora praesente non debita, sed solito minori celeritate debet moueri, quam ea absente, ad quod accedit, quod plethora vasa ultra modum extendat §. XII, sicque impediatur, quo minus debita vi sanguinem propellere possint. Praesente itaque plethora motus sanguinis tam progressius, quam intestinus, iusto tardior esse debet, quam in statu non plethorico; id quod etiam pulsus plethoricorum tardus, & profundior eorundem somnus aliaque symptomata satis superque confirmant.

## §. XXV.



XXV.

Sanguinis fluiditatem in determinata, qua eius particulae cohaerent, vi consistere, eamque vnice conuenienti, qua sanguis mouetur, celeritati deberi, in physiologia demonstratur. Qua de re, si sanguinis circulus non debita peragitur celeritate, nihil facilius, fieri potest, quam ut vis, qua sanguinis particulae cohaerent, maior, quam in statu naturali, euadat. Iam firmior partium sanguinis cohaesio, quam ea est, quae in statu deprehenditur naturali, appellatur *spissitudo sanguinis*: Adeoque pariter nunc liquet, quod tardior sanguinis progressus facile spissitudinem producere possit, id quod etiam experientia confirmat, utpote quae docet, sanguinem, si in vase quiescit, vel non debita mouetur celeritate, spissescere. Iam sanguis plethora praesente non debita mouetur celeritate, sed tardius progreditur §. XXIV. Ergo ex plethora nihil facilius, quam sanguinis spissitudo, oriri potest. Non minus quoque id exinde patet, quoniam in plethora maior sanguinis adest quantitas, quam in statu sano §. II, adeoque & maior numerus partium globulorumque sanguinis, unde plures sanguinis partes in contactum venire debent, quam in statu sano, maiori etiam vi sibi inuicem cohaerent atque in unam coeunt massam, siue in maiores abeunt globulos. Et quia cohaesionis impedimentum in sanguine abest, motus scilicet intestinus, qui ob tardiores sanguinis, praesente plethora, circulum, imminuitur §. XXIV, non solum plures particulae, verum etiam longioribus

Plethora facile spissitudinem sanguinis producere potest.

bus momentis, in contactu erunt, unde non potest non earum ad se inuicem cohaesio augeri, adeoque sanguinis spissitudo oriri.

## §. XXVI.

*Plethora ad  
concretiones  
polyposas in  
ipso poly-  
pos transe-  
untes pro-  
ducendas est  
apta.*

Si sanguis spissus est & praeterea tarde mouetur, in corde vasisque eius maioribus, immo in aliarum partium, inprimis tamen viscerum vasis maioribus, facile concretiones & coagulationes vix dissolubiles subit, quae deinde temporis successu in genuinos abeunt *polypos*. Iam plethora sanguinem spissum reddere potest eiusque motum rerardat §. XXIV. & XXV. ideoque etiam illa ad concretiones *polyposas*, quae dein in veros abeunt *polypos*, producendas, admodum est apta.

## §. XXVII.

*Plethora  
impedit li-  
berum san-  
guinis per  
vasa mini-  
ma cursum  
atque facil-  
lime obstru-  
ctiones &  
inflammati-  
ones produ-  
cere potest.*

Si sanguis libere & expedite per vasa minima transire debet, requiritur, ut globuli ipsius molem possideant minorem diametro vasorum eas transmittentium, sanguis ipse debita gaudeat fluiditate, eiusque globuli non valida vi cohaereant, ut a se inuicem facile separari & singulae vasa sua singula ingredi possint, & denique sanguis debita celeritate per vasa minima pellatur. Verum enim vero, praesente plethora omnes modo dictae deficere possunt & reuera saepissime deficient conditiones, quae requiruntur, ut sanguis per vasa minima legitime suum absolvat cursum. Nihil enim facilius plethora, quam spissitudinem, producere potest §. XXV. & hac praesente globuli sanguinis non molem solum manescunt maiorem diametro vasorum

rum eos transmittentium, sed vis etiam, qua inter se inuicem cohaerent, augetur, ut ab inuicem separari & vasa ingredi nequeant §. citat. Huc etiam accedit, quod praesente plethora sanguis admodum tarde moueatur §. XXIV. Patet igitur, sanguinem praesente plethora per vasa minima libere & prompte moueri non posse, sed facillime talium vasorum obstructions atque, quae ex his oriuntur, inflammationes, sub ea euenire. Ex his quoque patet, praeter eam, quam §. XXI. adduximus, altera ratio, cur plethora facillime obstructions, inflammationes & febres acutas producere possit, & cur subiecta plethorica, leui accedente causa, variarum partium inflammationes frequentius incurrant.

§. XXVIII.

Si secretiones atque excretiones legitime succedere debent, necesse est, ut sanguis debita celeritate ad loca secretoria moueatur & libere atque expedite vasa minima ingrediatur & per ea transeat. Cum vero plethora impediatur, quo minus sanguis cursum suum per vasa minima satis prompte absolueret possit §. XXVII, eiusque celeritas admodum sit imminuta §. XXIV, patet hinc, quod praesente plethora secretiones atque excretiones impediuntur ac retardentur.

*Praesente plethora secretiones sunt impeditae.*

§. XXIX.

Legitimus secretionum ac excretionum successus corporis humani humores in debita conseruat qualitate e contrario autem deficiens & impeditus eorundem successus legitimam humorum qualitatem peruertit.

*Plethora a cacochymiam producere potest.*

D

Cum

Cum vero oriatur cacochymia, si humores debitam suam qualitatem amittunt, necessario hinc plethora, quae secretiones & excretiones impedit §. XXVIII, cacochymiam producere debet. Iam cacochymia pro varia sua indole varios atque innumeros efficere potest morbos, hinc & plethora, si cacochymiam induxerit, idem quoque efficere valet.

## §. XXX.

*Ex plethora  
pura fieri  
potest impu-  
ra.*

Plethora dicitur *pura*, si sanguis est legitime ratione qualitatis comparatus §. V. Iam plethora producere potest cacochymiam, siue, quod perinde est, humorum qualitatem bonam peruertere §. XXIX. Fac ergo, plethoram esse puram, tunc illa secretiones & excretiones facile impedire §. XXVIII, adeoque simul efficere potest, ut sanguis sub illa ipsa praesens debitam suam qualitatem amittat. Nunc autem eiusmodi plethora, quae secum fert sanguinem deprauatum, dicitur *impura* §. V. Ergo plethora pura mutari potest in impuram.

## §. XXXI.

*Cur pletho-  
rici respira-  
tionis diffi-  
cultati,  
asthmati  
sanguino-  
lento & an-  
xietati sint  
obnoxii.*

Cum plethora sanguinis circuitum per vasa minima impediatur §. XXVII, hinc praesente eadem sanguinis per pulmones transitus non erit liber & expeditus, sed in iis successiue accumulabitur, ita, ut dexter cordis ventriculus sanguinem suum legitime expellere nequeat. Cum vero respiratio non rite succedat, verum impediatur, si sanguis non libere & expedite per pulmones transit, & anxietas oriatur, si ventriculus cordis

cordis dexter legitime sanguinem suum expellere nequit; ideo nunc facile liquet, cur plethorici prae ceteris respirationis difficultati, asthma sanguinolento & anxietati obnoxii sint §. IV.

§. XXXII.

Plethora vasa ultra modum extendit §. XII, unde necessario quoque nervi vasis adiacentes & interiacentes ad motes comprimuntur, liquidique nervi influxus impeditur; hinc motus & sensatio partis, ad quam nervi modo dicti abeunt, non potest non vel imminui, vel saltem cum difficultate peragi. Motus praeterea si debita cum facilitate exerceri debeat, requiritur, ut sanguis etiam convenienti cum celeritate in partes, quae motibus potissimum voluntariis destinatae sunt, influat. Hoc ipsum vero cum praesente plethora non fiat §. XXIV, ideo quoque mirandum haud est, eam homines ad sensationes & motus voluntarios legitime peragendos ineptos reddere. Accedit ad hoc, quod vasa cerebri praesente plethora nimium extendantur §. XII, & sanguis per ea non expedite transiens moram neget atque in iis accumuletur §. XXVII, unde non solum secretio fluidi nervi, quae iam a plethora imminuitur §. XXVIII, magis adhuc impeditur, sed substantia etiam cerebri medullaris comprimi, & fluidi nervi in eam influxus intercipi potest, quae omnia sentiendi & mouendi facultatem producant. Ex his igitur facile apparet, cur plethorici sensuum hebetudinem & segnitiam ad laborem & motum voluntarium experiantur §. IV. Quemadmodum vero ab his

causis capitis temulentia & vertigo oriri possunt, ita quoque plethorici hisce adfectibus frequentius laborareprehenduntur §. IV.

§. XXXIII.

*Conclusio.* Haecenus effectus, quos plethora in corpore humano viuo producere potest, enumeravi ac consideravi, eosque ex certis & indubitatis principiis, ratiociniorum legitime cohaerentium ope, deduxi. Meum igitur propositum ea, qua pollicitus fui, ratione ad finem perduxi, iamque etiam plura pariter non inutilia, de plethorae eiusque effectuum curatione, proferre possem, inprimis vero hic mihi amplissimus de venae-sectione tanquam uniuersali plethorae remedio eiusque in corpus humanum effectibus, de quibus quidem multa, sed maxima ex parte incongrua, sunt scripta, disserendi pateret campus; sed cum hoc singularem eamque prolixiorern postulet tractationem, quam tamen ut ulterius in me suscipiam circumstantiae iam non permittunt, insimulque haec modo prolata satis sufficere videantur pro expositione argumenti propositi, ideo merito nunc dicendi facere lubet

F I N E M.

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. ERN. ANTON. NICOLAI.

**N**on possum, quin Tibi, Amice aestumatissime, magnopere gratuler hunc diem, quo vitam academicam, cum perpetua honestatis atque industriae nunquam defessae laude gestam, ad gloriosum atque exoptatum perducis exitum. Nam quum Te primum cognoscerem, honestate, modestia & sedulitate nulli quicquam concedentem, plurimis autem palmam praeripientem, statim ab illo tempore Te diligere & de studiorum Tuorum successu optime sperare coepi. Neque opinio, quam de Te conceperam, me fefellit, cum melius mihi innotesceres meaque frequentares collegia. In his enim Te semper assiduum atque indefessum habui auditorem, Teque semper deprehendi talem, qualem Te exoptare poteram. Non festinasti & cursu aliquo emensus es medicinae particulam, sed philosophiae praeceptis antea bene praeparatus ad medicinam addiscendam accessisti atque ita in ea excolenda fuisti versatus, ut non historicam solum, sed, quod maximum est, philosophicam etiam omnium eiusdem partium cognitionem Tibi comparares.



rares. Docet hoc specimen, quod edidisti, quam idoneus  
sis veritatibus medicis apte evoluendis, atque ex princi-  
piis recte positis, ratiocinationis legitimae ope, novis veri-  
tatibus deducendis, deductis autem ad Lydium illum veri-  
tatis lapidem, experientiam, examinandis. Inprimis vero  
egregiam, quam Tibi Berolini, ubi per satis longum  
tempus fuisti commoratus, in rebus chirurgicis comparasti,  
scientiam, maximopere sum admiratus, ita, ut Te non  
prudentem solum & rationalem Medicum, sed peritum  
etiam Chirurgum evasurum esse certo mihi persuadeam.  
Et cum me dignum reputaveris, cui Opponentis contra  
Dissertationem Tuam, quam publice defendes, munus of-  
ferres, illud in me suscepi, non alio ex animo, quam ut  
Tibi Tuam eruditionem clarius demonstrandi submini-  
strem occasionem. Perspicient egregias hasce in Te ani-  
mi dotes, quotquot aequae, uti mihi licuit, Te familiari-  
ter videntur: fructum autem amplissimum a Te capient,  
qui Tuae in medendo dexteritatis experimentum sunt  
capturi. Gratulor itaque Tibi summos, qui Tibi a  
gratioso Medicorum Ordine decreti sunt, in arte medica  
honores, tanquam iusta Tuae diligentiae & eruditionis  
praemia, atque ut iis diutissime saluus atque incolumis  
in Tuam Tuorumque laetitiam atque aegrorum, qui  
Tuae committentur curae, emolumentum fruaris, ex animo  
apprecor. Me vero ut Tuo favori habeas commenda-  
tissimum, etiam atque etiam Te rogo. Dabam  
Halae Magdeb. d. X. Octobr.

CIO DCC XLVII.

NOBI-



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO,  
AMICO INTER PAUCOS CARISSIMO,

S. P. D.

CAROLVS A BODE, NASSOICO-VSINGENSIS,  
OPPONENS.

**V**ix, ac ne vix quidem, eos exprimere possum laetitiae sensus, quibus Tuam usurpo fortunam. Per tot rerum discrimina, quibus humana quotidianie implicita haeret vita, eo tandem peruenisti, ut ad summa honorum in saluberrima, quam profiteris, arte fastigia, usque plane dignus, adspires. Gratulor Tibi ex animo. Gratias non ingentes solum, sed etiam immortales Tibi ago, quod tam egregii facinoris me testem ac socium vocare placuerit. Pergas mihi fauere in tantum, quantum ego Te felicem esse iubeo. Felix sis, quantum mereris. Merita vero Tua, quanta sint, determinare, in hisce spatii praescripti angustiis, nihil esset, nisi flumina epotare velle uno prandio. Id tantum dixisse sufficiat: Talis es, qui Medicinae bono natus omine videris. Floreas igitur arti Tuae celeberrimae! Floreas dulcissimae patriae! Vivas familiae amplissimae! Viuas denique mihi, qui semper totus ero in Te colendo!

Dabam Halae Magdeburg. d. X. Octobris,

A. S. R. MDCCXLVII.



NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTOR ANDO**  
 AMICO INTER RAYCOS CARISSIMO  
 CAROLVS A BODE NASORICO VINCENSIS  
 OTTOLENSIS

**V**

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]




00 4 6468 (1)


ULB Halle 3  
002 928 051



12







B.I.G.

Farbkarte #13

TATIO INAVGVRALIS MEDICA  
 DE  
 GENVINIS  
 E THORAE  
 FECTIBVS  
 IN  
 ORPVS HVMANVM

Q V A M  
 B AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
 ET  
 V GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
 P R A E S I D E  
 RI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
 D O M I N O  
 R E A E L I A B Ü C H N E R O  
 C R I R O M A N I I M P E R I I N O B I L I,  
 O B O R V S S I A E R E G I A C O N S I L I I S I N T I M I S,  
 P H I L O S O P H I A E N A T V R A L I S P R O F E S S. P V B L. O R D I N A R.  
 I A L I S A C A D E M. N A T V R. C V R I O S O R. P R A E S I D E  
 E T C O M I T E P A L A T. C A E S A R.  
 O G R A D V D O C T O R I S  
 I N M E D I C I N A H O N O R I B V S E T P R I V I L E G I I S  
 C T O R A L I B V S L E G I T I M E I M P E T R A N D I S,  
 O C T O B R. A. S. R. M D C C X L V I I.  
 P V B L I C E D E F E N D E T  
 A V C T O R  
 I T I V S L V D O V I C V S B E N S,  
 N A S S O I C O - V S I N G E N S I S.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
 R. FRID. NATHAN. FÜRST. ACADEM. TYPOGR.

